at dixit eis. Nisi video in manibus eius figuram clavorum et mittam
[digitum meum in] locum clavorum et mittam manum meam in latus eius non credam. Et
[post dies octo] iterum erant discipuli eius intus et thomas cum eis. Venit ihesus ianuis
[clausis et stetit] in medio et dixit. pax vobis. Deinde dicit thome. Infer digitum tuum huc
[et vide manus] meas et affer manum tuam et mitte in latus meum et noli esse in[credulus]
[sed fideli]s. Respondit thomas et dixit ei. Dominus meus et deus meus. Videbat tange-
[batque hominem] et confitebatur deum quem non videbat neque tangebat. Sed per hoc quod
[videbat atque] tangebat illud iam remota dubitatione credebat. Dicit ei
[ihesus. Quia vidi]sti me credidisti. Non ait tetigisti me sed vidisti me quia generalis
[quodammodo sensus] est visus. Nam et per alios quatuor sensus nominari solet velud cum dici-
[mus. Audi et v]ide quam bene sonet. olfac et vide quam bene oleat. gusta et vide quam
[bene sapiat. Tan]ge et vide quam bene caleat. Ubique sonuit vide cum visus proprie nisi
[ad ocu]los pertinere dicatur. Unde et hic ipse dominus. Infer inquit digitum tuum huc et vide
[manus meas.] Quid aliud ait nisi tange et vide. Nec tamen oculos ille habebat in digi[to].
[Sive ergo in]tuendo sive et tangendo. Quia vidisti me inquit credidisti. Quamvis dici pos-
[sit non a]usum fuisse discipulum tangere cum se offerret ille tangendum. Non enim scriptum est te-
[tigit. Sive er]go sive aspiciendo tantum sive et tangendo vidit et credidit illud quod se-
[quitur gentium] fidem predicat atque commendat. Beati qui non viderunt et crediderunt. Preteritis
[ver]bis usus est tamquam ille qui quod erat futurum in sua predestinatione noverat iam factum.
[Sed hic sermo] a prolixitate cohibendus est. Donabit dominus ut de hiis que restant alias
~~[Ex]plicit sermo centesimus vicesimus primus. Incipit sermo centesimus vicesimus secundus ab eo quod dicitur. Multa quidem et alia signa~~
~~[fecit ihesus in conspec]tu discipulorum suorum usque ad id. Dicit eis symon petrus [...] rethe~~
~~[plenum] magnis piscibus centum quinquaginta tribus et cum tanti essent non est scissum rethe~~
[Post narra]tionem gestae in qua thomas discipulus oblatis sibi tangendisque in Christi [corpore] rethe
[vul]nerum locis vidit quod credere nolebat et credidit. interponit hic evangelista
[Mul]ta quidem et alia signa fecit ihesus in conspectu discipulorum suorum que non sunt scripta
[in libro hoc. Hec autem scri]pta ut credatis quia ihesus est filius dei et ut credentes vitam habeatis in nomine
[eius. Quod capitu]lum huius libri indicat finem. Sed narrat hic deinde quemadmodum manifestaverit
[se dominus ad mar]e tyberiadis et in captura piscium commendavit ecclesie sacramentum qualis
[futura sit in r]esurrectione mortuorum. Ad hoc itaque commendandum valere arbitror quod
[quasi con]clusio libri quod esset et future narrationis quoddam prohemium quod ei quodammodo
[honoratio]rem facit locum. Que narratio incipit ita. Postea manifestavit se
[iterum ihesus ad mare ti]beriadis. ~~M~~anifestavit autem sic. Erant simul symon petrus et thomas
[qui dicitur didimus et] nathanahel qui erat a chana galilee et filii zebedei et alii ex disci-
[pulis eius duo. Dic]it eis symon petrus. Vado piscari. Dicunt ei. Venimus et nos
[tecum.] Solet de hac piscatione discipulorum queri cur redierint petrus et filii zebedei
[ad id quod] fuerant quam a domino vocarentur. Erant enim piscatores quando eis dixit.
[Venite post me] et faciam vos piscatores hominum. Tunc enim quippe illi secuti sunt ut
[eum] relictis omnibus adhererent tantum ut cum eo dives ille tristis abscesse-
[rit cui dixit]: vade et vende omnia que habes et da pauperibus et habebis thesaurum in celo
[Un]de dicit ei petrus. Ecce nos dimisimus omnia et secuti sumus te.
[Quid ergo] quasi apostolatu relicto fuit quod fuerunt et dimiserant repetunt tamquam
[oblitos audi]erant. Nemo ponens manum super aratrum et respiciens retro aptus
[est regno celorum.] Quod si fecissent defuncto ihesu prius quam resurrexisset a mortuis quod
[nec fieri pot]uit quando dies quo crucifixus est totos eos tenebat ~~tectos~~ attentos usque
[ad sepulturam] que ante vesperam facta est. Sequens autem dies erat sabbatum quando eis patrium

01#115